Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 229
Quelle:
Copyright:

praefixus eſt, de Libello dicitur: *Eſt, ut putatur, M. Hainrici de Haſſia.* Recurrit alibi.

XVIII. *fol.* 169. *Queſtio vtilis, quare homo aliquando eſt bene diſpoſitus devocioni, et quandoque non.* Quatuor aſſignat cauſſas Autor anonymus: *Negligentiam propriam hominis, impugnacionem dyabolicam, nimiam defatigacionem virium ſenſitiuarum,* et *dei diſpoſicionem.* Incipit: *Solet a nonnullis queri, quare hoc ſit quod homines ſpirituales* &c. Finit: *patet ex dictis intuenti ea.*

XIX. *fol.* 172. *Tractatus* imperfectus *de Indulgentiis,* cujus initium: *Quoniam nonnunquam in quantitate indulgenciarum quas ex conceſſione Prelatorum fratres dant in predicacionibus et pronunciant ſeu pronunciari faciunt in ſuis feſtiuitatibus a quibusdam hoc minus fauorabiliter interpretantibus impingitur* (impugnatur) *quaſi fratres in hac parte faciant quod non debent uel non poſſunt. Id circo pro excuſatione fratrum intendo ſcribere tractatulum unum ſi placet* de quantitate indulgenciarum *nominandum* &c. XII. *Quaeſtionibus* conſtat, ſed jam in *ſecunda* deficit.

XX. *fol.* 177. *Tractatus Cancell. Paryſ. de poteſtate eccleſiaſtica.* Poſt *Proeemium,* quod materiam XIII. *Conſiderationum* exponit, incipit: *Poteſtas eccleſiaſtica debet ab eccleſiaſticis* &c. et finit: *Ratus vero dupliciter vel de Jure vel de facto. Hic tractatus ſcriptus eſt ſeu compoſitus in Concilio generali Conſtan. per R. M. Johannem de Jerſauo* (Gerſona) *Cancell. Paryſien. Anno domini M° CCCC° 17.* Extat *Opp.* T. II. *col.* 225. et nobis alibi.

XXI. *fol.* 190. *Sequitur tractatus bonus de ſacerdotio et regno et multa bona circa iſta tractantur in ſequentibus, quem compoſuit, vt audivi, quidam Magiſter paryſ. et ex quo precedens tractatus in magna parte eſt tractus.* Magiſter hic, ex quo *Gerſonem* profeciſſe Noſter aſſerit, eſt *Johannes Quidort, Surdus, le Sourd, de Soardis,* vel vulgo dictus *Pariſienſis* O. P. qui Sec. XIV. ineunte floruit, ut habes in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 500. Editiones Tractatus praeſentis damus alio loco. Incipit: *Interdum contingit, quod vitare volens* &c. Finit: *et ſine qua papa non ſit papa.*

XXII. *fol.* 220. *Tractatus de vita ſpirituali anime Johannis de gerſona* &c. In prolixiore titulo miniato ad hoc opus tanquam Pars II. et III. revocantur *Tractatus de Diſcretione ſpirituum* et *de vita anime contemplatione ſtabilite,* qui tamen tardius in *Cod.* conſequuntur. Praeſens incipit ab Epiſtola ad *Petrum de Alliaco,* ut in edit. T. III. p. 2. et finit: *Ita finem huius operis dedicamus.*

XXIII. *fol.* 252. p. 2. *Probemium in tractatum de contractibus Magiſtri Johannis Gerſonis Cancel. paryſ.* Initium: *Qui volunt diuites fieri* &c. Finis: *tam diuino quam humano iure dampnatam.* Extat T. III. *col.* 165. Sed nobis adhaeret Judicium *Joh. de Imola* Doct. *Bononienſis,* qui lecto *Gerſonis*